

Viribus exhaustus palles, roburq; fatiscit:

Deficit ipse color, deficit ipse calor.

Interea obrepit baculo suffulta SENECTUS,

Voce canens tremulâ, QUAM NIHIL OMNIS
HOMO!

Quot sylvæ numerant folia, & quot littus arenas,

Fulgida quot numerant sidera tecta poli,

Tot mala, tot secum fert tristia cana Senectus:

Et dolor & gemitus postea panis erit.

Quò propius portus patet, hoc discrimina plura

Incumbunt humeris pondere magna tuis:

Et tibi præteritos referat quò Jupiter annos

Tum petis; at frustra, quod petis, hocce petis.

Antea qui fueras præduris artibus Atlas,

Quem tradunt geminum sustinuisse polum:

Antea qui Herculeos perpeßus sæpè labores

Corporis & mentis viribus acer eras:

Debilitata geris gracili jam corpore membra:

Nec facit officium pèsve manúsve suum.

Ad quem vis lapidem impingis; te scipio ducit:

Dic ubi membrorum pristinus ille valor?

Antea Cæsaries decorabat tempora flava,

Pendebat roseis ruffula Barba genis:

Jam caput obruitur niveis hinc indéq; canis:

Rugosas malas hispida sylva tegit.

Mellea facundæ fuerat tibi gratia linguæ,

Et poteras culto cum Cicerone loqui,

Jam vix balbutire vales, vox faucibus hæret:

Obstruit eloquij tussis anhela viam.

Difficilis læso procedit sermo palato,

Respirandi etiam pabula pulmo negat.

D 3

Nunc